I. N. J.

Diſſertatio Medica
DE
HÆMOPTYSI

QUAM

Aſſiſtente Divini Numinis Gratiâ,

IN ILLUSTRI ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA

Sub PRAESIDIO

VIRI Experientiſſimi & Clariſſimi

DN. JOHANNIS GERHARDI Winther/

Medicinæ & Philoſoph. Doctoris ac Profeſſoris Ordinarii, & h. t. ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICI & Facultatis Medicæ DECANI,

Patroni & Praeceptoris ſui æternùm devenerandi

Publico Eruditorum examini ſubjiciet

Ad diem Decembr.

Horis locoque conſuetis.

JOHANNES HENRICUS OTTERSMAN, Paderbornenſis.

RINTHELII, Typis Godofr. Caſp. Wächteri, Acad. Typ. Añ. 1684.

Σὺν Θεῷ,

Thesis I.

INter tot tamque diverſos affectus, qui corporis humani ſtructuræ totalem ruinam non tantùm invaſionis reditusque frequentiâ, ſed diuturnitate quoque & paroxysmorum vehementiâ minantur, indeque Medicis non modò vulgaribus, quorum cognitio utplurimùm in cortice hæret, ſed etiam illis qui diligenti cauſarum ſcrutinio in interiora deſcendere nituntur, plurimum negotii faceſſunt, non infimum occupat ſubſellium HAEMOPTYSIS. Operam igitur me minimè perditurum ſpero, ſi ea, quæ ad graviſſimi hujus affectus pleniorem cognitionem, veramque medendi methodum maximè pertinere viſa fuerint, hiſce theſibus breviter & ſuccinctè proponam. Tu verò Benevole Lector æqui bonique conſule, & bene ominare.

II.

Onomatologia hujus morbi, ſi forte quicquam, licèt parùm, ad ejus cognitionem conferat, hæc eſt: Quippe quod ad *Etymologiam*, Hæmoptyſis dicitur ἀπὸ τῆς πτύσεως τοῦ αἵματος *ſanguinis ſpuitione*, unde ratione *Synonymiæ* dicitur quoq; πτύσις τοῦ αἵματος, τοῦ αἵματος ἀναγωγὴ, Græcis: Latinis *ſanguinis ſputum, exſpuitio, ſputum cruentum* &c. Germanis das Blutſpeyen/ die Blutſtürtzung/ &c. Quodad *Homonymiam*; ſumitur in ſignificatu vel *latiori*, omnemque ſanguinis ex ore rejectionem ſub ſe comprehendit, ſive deinde ille ex

gingivis, palato, ventriculo, œſophago, locisve vicinis, ſive ex thorace erumpat: vel *ſtrictiori* & proprio, denotatque tantùm ſanguinis rejectionem cum tuſſi ex partibus reſpirationi dicatis. Hinc patet Hæmoptyſin rectè deſcribi per ſanguinis cum tuſſi ex organis reſpirationi dicatis rejectionem à vaſorum ſanguifluorum in pectore apertione ortam.

III.

Hiſce præmiſſis ad *ſubjectum* hujus affectus tranſeo, quod ſunt partes in pectore contentæ, imprimis pulmo quoad vaſorum ſuorum tubulos: Hoc ut clariùs innoteſcat, illius conformatio organica paulò penitiùs heic mihi rimanda erit. Notandum ergò, pulmonis ſubſtantiam levem, mollem, raram atque ſpongioſam, eſſe aggregatum quoddam, ex minimis ac innumeris veſiculis ſeu cellulis orbicularibus aptè cohærentibus & in eum uſum efformatis, conflatum, ut ſanguis è dextro cordis ſinu in ſiniſtrum per pulmones circulum ſuum perficiens, ſpiritu aereô ac nitroſô volatili in iſtis cellulis ſegregato pro conſtituenda & alenda flammula vitali debito modo imprægnetur. Quam pulmonis ſtructuram in ranis oculus nudus, in animalibus verò perfectioribus ſmicrocoſpio armatus apprimè detegit. Illarum autem cellularum congeriem efformari cenſendum eſt, tam ex aſperarum arteriolarum ſeu bronchiolorum, quàm lævium & venularum tubulis membranaceis extenſis, ſinuatis atque connexis, haud abſimili ferè modo, quo in apum favis cellulas è cera extenſa figuratas & combinatas conſpicimus; Quippe tribus pulmo intertextus eſt vaſorum ſurculis, cujusmodi ſunt bronchiola ſeu aſperæ arteriæ canaliculi nervorum pneumonicorum ſubtiliſſimis filamentis undiquaque ſociati, tubuli venæ arterioſæ, ſeu arteriæ pulmonaris, & denique arteriæ venoſæ ſeu venæ pulmonaris: Horum vaſculorum extremitates mutuâ anaſtomoſi tam aptè ſunt conjunctæ, ut ſanguis è dextro cordis ſinu in pulmonem per arteriam pulmonarem propulſus, per venæ pulmonaris canaliculos ad ſiniſtrum illius ſinum redire cogatur, ita tamen, ut ſan-

ſanguis per vaſculorum pulmonarium myriades in diverſos minimos rivulos & quaſi ſtamina diſperſus, cellulas ſuprà memoratas alluendo & comprimendo, ſpiritu nitro-aëreô maritetur: Siquidem talis vaſculorum ſanguiferorum & cellularum in pulmonibus, arctè licèt connexorum, ratione magnitudinis & figuræ pororum eſt conformatio, ut ex his in illa dicto ſpiritui liber pateat introitus, ſanguini verò ex illis in has præcludatur effluxus: Cellulæ quoque talem inter ſe nactæ ſunt connexionem & ſitum ut ex trachea in omnes & ſingulas, & ex ſingulis in ſingulas, & rurſus in tracheam patens & liber ſit aditus. Hâc pulmonis conformatione integrâ ſanguinis per illum tranſitus eſt liber, & reſpiratio expedita, ita quidem, ut hæc illum promoveat, & viciſſim ille hanc adjuvet, læsâ verò, utraque hæc actio lædatur.

I V.

Ex his de Hæmoptyſeos *cauſis* judicare non erit difficile; ad quarum ſcrutinium nunc nos vocat agendi methodus. Duplex autem cauſa hîc in conſiderationem venit, à qua tota hujus morbi cognitio pendet. 1. *Immediata* ſeu *proxima*, 2. *Mediata* ſeu *remota*, eaque vel *antecedens* ſeu προηγȣμένη, diſpoſitio ſcilicet in corpore quidem latens, ſed non dum tamen conjunctæ vices ſuſtinens, vel *procatarctica* ſeu occaſionalis antecedentem excitans, ut conjunctæ habitum induat, ac immediatam hoc pactô proritet.

V.

Cauſa *immediata* hujus affectus eſt vaſorum pulmonis ſanguiferorum apertio, quæ pro cauſarum diverſitate potiſſimùm triplici fit modo; Etenim fit vel *anaſtomoſi*, id eſt, oſculorum vaſorum reſeratione; vel *diapedeſi* ſeu tranſudatione ſanguinis ichoroſi per vaſorum tunicas rarefactas; vel *diæreſi* ſeu continuitatis vaſorum ſolutione, & hæc rurſus fit vel per *diabroſin* ſeu tunicularum eroſionem ab humoribus ſalſis, acribus

&c. vel per ῥῆξιν ob vaſorum tenſionem; vel denique per vulneris inflictionem.

VI.

Ad cauſam *mediatam antecedentem* ſeu προηγουμένην referenda eſt imprimis pulmonum imbecillitas ſive *nativa*, ſive per vitioſam diætam *acquiſita*, conſiſtens in cellularum & vaſculorum pulmonarium laxitate & raritate. *Plethora* ſeu plenitudo ſuccorum; hæc enim ſanguinis motum circularem per pulmones facilè ſufflaminat, dum arteriæ pulmonares è dextro cordis thalamo plus inferunt, quàm venæ ad ſiniſtrum revehere poſſunt; unde ſanguis ſtagnans in motum inteſtinum ſeu fermentativum concitatus vaſcula pulmonum tenerrima diſtendendo, anaſtomoſin efficit, vel rexin, ſicque quâ datâ portâ in memoratas pulmonis veſiculas & bronchiola ſeſe exonerans Hæmoptyſin inducit. Siquidem ſanguis juſtô calidior, acrior, tenuior, & alkali volatili præter naturam ſcatens ad inteſtinam luctam concipiendam valde idoneus eſt, quâ ſine nullum in hoc morbo paroxysmum ingruere, ex præcedanea phlogoſi, aliisque effervescentiæ ſanguinis auctæ effectis haud obſcurè quilibet colligere poteſt. Unde liquet, talem ſanguinem, dum circulari motu per pulmones impetuosè fertur, ob orgaſmum, aut vaſorum tuniculas vi extendere, ac per poros earum dilatatos particulas tenuiores ac feroſiores in bronchiolorum tubulos transmittere, aut veſicularum membranulas erodendo viam ſibi aperire, ſicque vel diapedeſin efficere vel diabroſin: Nec prætereunda hic *cacochymia acida*: Quippe acidum fixum & ſylveſtre in corpore abundans ſanguini, dum in dextro cordis ſinu effervescit, ad coagulationem diſpoſitionem imprimit; hinc motu ejus per pulmonis anguſtias ſufflaminato, & obſtructione obortâ, vaſorum diſtentorum oſcula reſerantur, & extravaſatur cruor, qui bronchia ad ſpaſmos excretorios ſtimulando paroxyſmum infert.

ſert. Huc quoque pertinet temperamentum calidum & humidum, aut ſiccum: Ætas juvenilis & virilis, diſpoſitio hæreditaria, &c.

VII.

In cauſarum remotiorum & procatarcticarum hujus affectus claſſe ponenda ſunt, quæcunque ſanguinem augere, calefacere, acriorem reddere, attenuare in efferveſcentiam præternaturalem concitare, & quocunque modo craſin ejus & motum naturalem depravare poſſunt. Qualia ſunt è rebus ſex non naturalibus. I. *Aer*, qui in primis qualitatibus excedens; vel etiam miasmatis ſulphureis, ſalinis, mercurialibus, ſimilibusve acrimoniâ vel aciditate pollentibus impregnatus, variarum, pro temporum anni diverſitate, alterationum morboſarum in corpore humano fit cauſa. Unde aër *vernalis* ob materiæ ſubtilis, maſſam ſanguinis in orgaſmum maximè concitantis, influxum, meritò hæmoptoicis ſuſpectus habetur. *Autumnalis*, cùm ob inæqualitatem in qualitatibus primis humores ſalſos, acres, bilioſos æſtate collectos fundat, exagitet & ad pulmones præcipitet, non minùs hæmoptoicis, quàm tabidis ſecundùm *Aph. Hippocrat.* 10. *Sect.* 3. noxius cenſendus eſt. Aerem aquilonium accuſare videtur Hippocrates *Aph.* 5. *Sect.* 3. nec ſine ratione: nam cutis poros & vaſa conſtringendo ſanguinis motum per pulmones retardat. Sic & aër *æſtivus*, dum corporis interiora ſubit, humores ad orgaſmum ſanguinis profuſionem concitantem diſponit. Non omittenda hîc *contagio*: Quandoquidem malignas aporrhœas é ſpecubus ſubterraneis æſtu vel terræ motu, ſive aliunde in aërem elevatas, ſi corporis humani diſpoſiti penetralia ſubeant, arma in humores convertere & bellum inteſtinum, non niſi largâ ſanguinis profuſione expiandum, concitare poſſe, dubium non eſt. Hanc enim epidemiæ illius hæmoptyſeos per integrum quinquennium durantis, cujus meminit Cl. Diemerbroeck in *Tract. de peſte lib.* 3. *annotat, Cap.* 10. *de hæmorrhagia narium nec non ſputi cruenti curatione*, cauſam fuiſſe nemo non videt. 2. *Cibus* & *potus*, qui e-

videns

videns huc Symbolum conferunt: cibi ſcilicet acres, ſalſi, aromatibus calidioribus conditi, acidi, ut & ſaccharati & melliti, omnesque valdè fermentativi, quatenus ſanguinem tincturâ corroſivâ, acri vel acidâ imprægnant, vel ad præternaturalem orgaſmum diſponunt, meritò hic malè audiunt. Crapula frequentior non raro huic affectui ad multorum internecionem fores latè pandit: Potus namque generoſus ac ſpirituoſus ſanguinis effervescentiam intendendo vaſorum pulmonis orificia reſerat. Imprimis, ſi 3. *exercitia* accedant athletica, ſaltatio nempe, equitatio, pilæ jactatio, vociferatio, ſimilesve motus corporis violenti, concuſſiones, ictus, caſus ab alto &c. 4. *Animi pathemata*, ira imprimis, ut & effuſum gaudium, terror &c. ſanguinis motum inteſtinum mirè augendo & humores alios quieſcentes concitando huic malo anſam præbent. 5. *Excernendorum*, v. c. catameniorum, lochiorum, & hæmorrhoidalis ſanguinis aliusve hæmorrhagiæ pertinax *retentio* non minorem hunc affectum producendi vim habet; Quippe ſanguis ille per certa intervalla excerni ſolitus, obſtructis uteri, hæmorrhoidalium vaſorum &c. meatibus, ſtagnando indolem adſciſcit fermentativam, unde â materiæ cœleſtis influxu in orgaſmum actus ad partem debiliorem, in qua minor eſt reſiſtentia, quæ non raro ſunt pulmones, ſecundùm naturæ legem facit metaſtaſin, & quà datâ portâ erumpit.

VIII.

Cauſarum expoſitionem excipiunt *differentiæ*, quæ petuntur vel â ſubjecto, vel à cauſis, vel ab accidentibus. Ratione *ſubjecti* Hæmoptyſis eſt vel idiopathica, vel ſympathica, ſeu per conſenſum: Alia eſt ab apertura arteriarum, alia venarum: Sanguis è vaſis nunc thoracis, nunc pulmonum, nunc aſperæ arteriæ profunditur. Ratione *cauſarum*, eſt à vaſorum vel anaſtomoſi, vel diapedeſi vel diabroſi, rexi &c. Quoad *accidentia*, vel circumſtantias, alia eſt hæreditaria, alia adventitia: alia ordinata ſeu periodica, alia inordinata: Mitis & benigna, vel

vel maligna & epidemia, cujus theſ. præced. ex Cl. Diemerbroeck facta eſt mentio. Critica vel ſymptomatica.

IX.

Hæc de differentia: Ordine nunc ſequuntur *ſigna*. Quàm ſupervacaneum autem eſſet ſignorum diagnoſticorum ipſum affectum indicantium enumerationi immorari, cùm morbus per ſe ſit notus & manifeſtus, tam neceſſarium eſt illa, quæ demonſtrant cauſas & partes affectas, curioſè notare, quippe ſtolidi ſunt ſecundùm Galenum, qui curationes temerariè, loco affecto & cauſis minimè cognitis, auſpicantur. Quare, ſi profundatur ſanguis ex *aſpera arteriæ* vaſculis, prodit valde ruber, paucus & calens, cum tuſſi & titillatione laryngis magna, ob creberrimos ſpaſmos excretorios, in quos à ſanguine calente aguntur illius filamenta nervea. Si ex *thorace* ſanguis eſt minimè ſpumoſus, ſed nigricans & grumoſus, interdum fœtidus & puri miſtus, cum tuſſi & dolore rejicitur; ut & ſi ex rupta pulmonum *vomica*, ſæpe fœtens eſt & cum impetu confertim erumpit. Si ex *pulmonibus*, ſanguis eſt ſpumoſus, vide *aph. Hipp.* 13. *ſect.* 5. perſeveranter floridus, fervens cum tuſſi & titillatione, ſine dolore & citò rejicitur. Si ex *arteria*, ſanguis eſt floridus, intensè ruber, fervens, impetuosè erumpit, obſervat pulſus rythmum, voxque cohibetur. Si è *vena*, ſanguis non eſt ſpirituoſus, ſenſim effluit, nec per vices ad cordis pulſationes. Si per *Anaſtomoſin* fiat Hæmoptyſis, adſunt indicia plenitudinis & temperamenti ſanguinei, ſanguis laudabilis confertim erumpit, præceſſit victus plenior & lauta diæta. Si per *diapedeſin*, ſanguis profluens eſt ichoroſus & tenuis, & qui per venæ ſectionem emittitur, apparet dilutus ac ſeroſus. Si per *rexin*, præceſſit cauſa violenta, ictus, caſus ab alto, contuſio, aliave; profuſio eſt continua & fit cum impetu. Si per *diabroſin*, præſtò ſunt indicia ſalſedinis, acrimoniæ vel aciditatis corroſivæ in maſſa ſanguinea, nec obſcura adſunt ſigna exulcerationis pulmonum ſeu phthiſios.

X.

Nonnunquam etiam aliæ ſanguinis ex ore rejectiones mentiuntur hæmoptyſin; quare ſigna veram ab illa ſpuria diſtinguentia probè notanda ſunt. A *vomitu* igitur *cruento* diſtinguunt hæmoptyſin hæc ſigna: Rejectio ſanguinis concreti & ſimul aliûs materiæ in ventriculo contineri ſolitæ, præcedente nauſeâ, & comitante ventriculi motu vehementi atque dolore &c. A *ſanguinis ex capite fluxu*: Rejectio illius ſine tuſſi, & cum ſcreatu, abſentia ſignorum affecti pectoris, & præſentia indiciorum affecti capitis, ſapor ponticus & ſanguineus in ore &c.

XI.

Antequam hinc ad prognoſin abeamus, non abs re erit ſigna inſtantem paroxyſmum præſagientia notare, cùm ſatiùs ſit; hoſtem truculentum à limine arcere, quàm intromiſſum expellere. Præſagiunt ergò brevi imminentem paroxyſmum huic affectui obnoxiis; *phlogoſis* genarum in uno vel utroque faciei latere conſpicua, quatenus præternaturalis effervescentiæ ſanguinis indicium eſt. *Totius inquietudo* ob eandem rationem, & præcipuè *anxietatis circa præcordia perceptio*, quæ ſanguinis jam tum in pulmonaribus vaſculis ſtagnantis, grumeſcentis & clauſtra perrumpentis certum eſt indicium; huc referatur *reſpiratio* paulò *difficilior* & crebrior ex modo data cauſa.

XII.

Nunc quod ad *prognoſin*; In genere ſciendum eſt, affectum ob partis affectæ & functionis ejus nobilitatem, periculi, & curationem ob illius continuum in reſpiratione motum, difficultatis eſſe pleniſſima. In ſpecie verò periculoſior eſt affectus, ſi arteria eſt aperta, quàm ſi vena, ſi è pulmonum vaſis fluit ſanguis, quàm thoracis; niſi enim intra paucos dies conſolidetur vas apertum, phlegmone ſuperveniet, quæ in ſuppurationem verſa phthiſin producit; quo referendus Hippocr.

pocr. *Aph.* 15. & 16. *ſect.* 7. A ſanguinis ſputo, puris ſputum, à puris ſputo tabes & mors. Inflammatio vel febris ardens ſuperveniens, ut & ſingultus & convulſio exiguam convaleſcentiæ ſpem relinquunt; Continuitatis vaſculorum pulmonarium ſolutio recens, & inflammationis expers non ita difficulter ſæpe curatur. Critica hæmoptyſis minùs periculi conjunctum habet, ſiquidem à morbis gravioribus præſervat, & naturam ab onere liberat, vide *Joh. Arculani expoſitionum in IX. lib. Almans. caput. LXI. de ſputo ſanguinis & Zacut. libr.* 2. *praxeos hiſtoriar. obſervat.* 5. Mulieres menſium obſtructione laborantes certis periodis ſangninem per venarum pulmonarium anaſtomoſin innoxiè excreviſſe obſervavit *Cl. Riverius.* Nec tamen omnis periculi eſt expers; nam ſanguinem supernè efferri, qualiscunque ſit malum; *aph.* 25 *ſect.* 4. Plura prognoſtica qui deſiderat, adeat *Hippocratem*, *Sennertum*, *Riverium* & alios practicos.

XIII.

Hæc de theoria hujus morbi dicta ſufficiant. Sequitur medendi methodus, quæ his nititur indicationibus. 1. Sanguinis eruptio, quam citò fieri poteſt, cohibenda; quare 2. Vena vel arteria in thorace læſa occludenda & conſolidanda, ſi affectus per *anaſtomoſin*, *rexin* vel *diabroſin* inductus fuerit. 3. Cruor in pulmonibus hærens diſſolvendus & ad anacatharſin facilem præparandus. 4. Sanguinis æſtus reſtinguendus, ejusque motus per pulmones circularis promovendus. 5. Illius intemperies acris, ſeroſa, acida &c. corrigenda, ſi paroxyſmus per *diapedeſin* vel *diabroſin* invaluerit. 6. pulmones debiles corroborandi. 7. Vires debilitatæ inſtaurandæ. His indicationibus ſatisfit auxiliis è tribus fontibus petendis, Chirurgico ſcilicet, pharmaceutico & diætetico.

XIV.

Ex fonte *Chirurgico* fluit V. S. remedium ad ſanguinis fluxum cohibendum, compeſcendam illius efferveſcentiam motumque per pulmones progreſſivum promovendum efficaciſſi-

mum, ſtatim in principio paroxyſmi ſine ulla cunctatione præmiſſo tamen, niſi neceſſitas urgeat, clyſtere emolliente, adminiſtrata; & quidem revulſionis gratiâ, ſi affectus ſit â menſium vel lochiorum ſuppreſſione aut vaſorum ſedalium obſtructione, in pede vel talo, ſecus in brachio; eſtque in habitu plethorico ad minuendam ſanguinis copiam pòſt iteranda. Si autem V. S. â virium extrema imbecillitate aut alio contraindicante prohibeatur, *cucurbitulæ* brachiis & cruribus, atque, monente *Cl. Riverio*, ſcapulis & dorſo cum ſcarificatione, vel ſine hac cum forti flamma hypochondriorum, ilium & inguinum regionibus per intervalla affixæ, ſanguinem â pulmonibus potenter revellendo ac evacuando, venæ ſectionis dignitatem æmulantur. Sic quoque *hirudines* venarum ſedalium extremitatibus appoſitæ, præcipuè ſi harum obſtructio affectui occaſionem dederit, venæ ſectionis vicariæ ſunt. Denique extremorum *frictiones ligaturæ* dolorificæ per vices repetitæ, ſimiliaque remedia revellentia non negligenda ſunt.

X V.

Fons *pharmaceuticus* valida contra Hæmoptyſin præſidia & auxilia tam *interna* quàm *externa* ſingulis indicationibus ſatisfacientia abundè ſuppeditat. Nam quod *primam indicationem* attinet, ſanguinis eruptionem ex *internis* compeſcunt 1. *adſtringentia*, quæ inter excellunt *plantago*, *polygonum*, *portulaca*, *ſumach*, *gallæ*, *capulæ & cortices glandium*, ſuccus *urticæ* ab *Amato Luſitano* mirè deprædicatus, radices *pentaphylli*, *tormentillæ*, *biſtortæ*, flores *roſarum rubr. balauſtiorum*, *carobe*, *ſanguis draconis*, *lapis hæmatites*, *corallia rubra &c.* omniaque ex his ſimplicibus compoſita & arte ſpagyricâ præparata; *aquæ* ſcilicet, *ſucci*, *eſſentiæ*, *extracta*, *calces*, *pulveres*, *electuaria &c.* *Oleum Vitrioli* cum *aqua urticæ* exhibitum commendat *Hartmannus*. 2. *Narcotica* & *opiata*, ſed non niſi neceſſitate urgente, exhibenda; inter quæ eminent ſemina *papaveris*, *hyoſciami*, & quæ ex *opio* parantur, *laudanum opiatum correctum*, *tinctura opii* citè filtrata, *eſſentia laudani cydoniata*.

Sed

Sed verò adſtringentium & narcoticorum uſus, eò quòd expectorationem ſanguinis extravenati & grumoſi ſupprimendo reſpirationis difficultatem pariat, continuus non ſit; quare ſubinde interponenda ſunt, quæ ſanguinis grumos in pulmonibus diſſolvunt & anacatharſin promovent, ac nihilominus ſanguinis effluxum, vaſorum vulnuſcula conglutinando & conſolidando potenter coërcent, ad quæ ordine nos vocant *indicationes ſecunda & tertia*. Atque huc pertinent omnia *mucilaginoſa &* virtute *emplaſtica* prædita, quæ componuntur ex *gummi arabico*, *tragacantho*, *terra ſigillata*, *Japponica*, *bolo armeno*, *amylo*, *maſtiche*, *thure*, *mumia*, radicibus *althææ*, *ſymphyti*, foliis *conſolidæ utriusque*, *farfaræ*, *ſcabioſæ*, *Saniculæ*, *pulmonariæ Gallicæ hiſpidulæ*, *hederæ terreſtris*, floribus *roſarum rubrarum*, *hyperici*, *anagallidis* & *bellidis rubris*, fructibus *myrtillorum*, *cydoniorum*; *meſpilorum &c.* Omniaque inde præparata & compoſita, imprimis *ſirupi*, *conſervæ*, *electuaria*. Electuarium contra Hæmoptyſin *Timæi* efficax eſt. Inter medicamenta grumoſum ſanguinem *diſſolventia* & *expectorantia* eminet *ſperma ceti* ad ʒß. vel ℈ij cum vehiculo convenienti datum; cui ſuccedit *oxycratum* ad ℥iv vel V bis quotidiè tepidè aſſumptum; quod tamen docente *Galeno* hoc in caſu ita parandum eſt, ut ſit potu jucundum, ne ob acetum pulmones ad tuſſim ſtimulet. Quod *quartam intentionem curatoriam attinet* & *quintam*, ſanguinis æſtum reſtinguunt, ejusque intemperiem acrem, ſeroſam, acidam, ſalſam expugnant omnia medicamenta antifebrilia 1. *refrigerantia*; aquæ ſcilicet *plantaginis*, *cichorij*, *taraxaci*, *portulacæ*, *endiviæ*, *acetoſæ*, *fragorum*, *roſarum*, *fol. quercus*, *burſæ Paſtoris*, *tuſſilaginis*, ut & ſucci acidi expreſſi *pomor. citri* & *limonum*, *granatorum acidorum*, *berberum*, *ribeſiorum*; nec non ſpiritus acidi minerales, *vitrioli*, *ſulphuris*, *ſalis dulcificatus* &c. de quibus tamen notandum, antedictis aquis & ſirupis convenientibus ita temperandos eſſe, ut pulmonibus aciditate ſuâ corroſiva nullam inferant vim vel noxam. 2. *præcipitantia* ac tincturam humorum acrem & acidam *abſorbentia* al-

kalina videlicet terreſtria & teſtacea, qualia præter ſuprà notata ſunt *C. C. ſine igne* & *uſtum præparatum*, *lapides* & *chelæ cancrorum*, *raſura eboris*, *ſpodium ex ebore*, *unicornu foſſile*, *perlæ*, *lapides pretioſi præparata*, *&c.* 3. *Oleoſa* & *pinguia*, quæ ſpicula acria, ſalſa, amara &c. particulis ſuis ramoſis implicant, & ad motum inepta reddunt, quæ inter primum locum aſſigno *ſpermati ceti*, ſecundum *ſeminibus* 4. *frigidis majoribus*, *papaveris albi*, *amygdalis dulcibus* & ſimilibus, hinc ad humorum acrimoniam demulcendam ſe valdè commendant *emulſiones* horum ſeminum cum ſuprà dictis aquis paratæ. Huc refero pulveres ſemina illa recipientes, qui deſtillationes acres ac ſalſas ad pulmones delabentes egregiè temperant ac ſiſtunt, quales ſunt pulvis *Anonymus*, *Haly Abb. refectivus* M. ſpecies *diatragacanthi frigidæ &c.* 4. *Evacuantia* inter quæ ſunt *cathartica benigniora* & alvum blandè citra magnam humorum commotionem ſubducentia, vitatis *fortioribus* & *draſticis*, ut & *emeticis*, cùm per locum affectum hoc in caſu ob vehementem, quam inferunt organorum reſpirandi concuſſionem, non ſit ducendum. Parentur autem illa ex *rhabarbaro*, *mechoacanna*, *tamarindis*, *paſſulis*, *caſſia*, *manna*, *&c.* additis corrigentibus. Ad purgantia pertinent *enemata* ex emollientibus ac lenioribus purgantibus parata, quæ humores â pectore revellendo ac blandè educendo nunquam non hoc in affectu proſunt. *Diuretica*, quæ maſſam ſanguinis diluendo, ejusque compagem ſtrictam laxando particulas ſalinas rigidas, acutas ſimilesve diapedeſin vel diabroſin inducentes, unà cum ſero ſuperfluo per meatus urinarios feliciter educunt; quæ inter eminent *aquæ* pleræque *deſtillatæ*, *ſucci* & *ſpiritus acidi* ſuprà jam commendata. *Sextæ indicationi*, quæ pulmonum debilitati ſuccurrit, ſatisfaciunt omnia pectoralia auſteriuſcula, quatenus virtute leviter adſtringendi pollentia pulmonum poros, cellulas & tubulos debito laxiores & rariores paululùm coarctant & ad naturalem tonum reducunt, quæ inter ex ſuprà notatis excellunt *roſæ rubræ*, *veronica*, *hiſpidula*, *pulmonaria*, & ex his para-

tæ *conſervæ* & *ſirupi*. *Septimam intentionem*, virium ſcilicet corroborationem, tandem implent cordialia frigida, nempe *aquæ* 4. *florum cordialium*, C. C. *citrata cordialis frigida* Saxoniæ vel *Timæi*, *perlarum*, *confortativa* Auguſtanorum, ſirupi *corallorum*, *rubi idæi*, *julepus roſatus*, *violatus*, qui nobilitari poſſunt confectionibus de *hyacintho*, *alchermes*, *julepo gemmato &c.* incompletis. Inter *externa* nihil æquè prodeſt, ac *epithemata* ex aquis aliisve liquoribus *hepaticis* ac *cordialibus frigidis*, addito modico aceti roſacei, concinnata, & regionibus hepatis, cordis ac pulſuum applicata, quæ ſanguinis fervorem mitigando haud contemnendam præſtabunt opem. Formulas ſelectas & ex ſuperiùs laudata materia Medica concinnatas, quas cuivis indicationi hîc ſubjungere conſtitueram, pagellarum anguſtia præter ſpem excluſit.

XVI.

Tandem fons *diæteticus* circa ſex res non naturales præſcribit moderamen. *Aer* igitur in quo degit æger, ſit quoad primas qualitates præcipuè *calorem* & *frigus*, temperatus, & purus, ſecus convenientibus remediis ad illam temperiem reducendus eſt. *Victus*, quia morbus acutus, in initio præſertim, ſit *tenuis*; excluſis ergò cibis omnibus dyſpeptis & cacochymis, acidis, acribus, ſalſis & ſimilibus, nutritionem neceſſariam præſtent *amygdalata*, juscula è *lacte* parata, ex *oryza*, *milio*, *amylo*, ptiſana ex *hordeo*, *avena*, *tritico*, *fagopyro*, facta, & ſi qui ſunt alii cibi vi emplaſticâ donati: Unde apprimè convenient gelatinæ, & in progreſſu morbi, ſedato ſanguinis fluxu, carò animalium juniorum, *agnina*, *vitulina*, *vervecina*, *avicularum montanarum*, *cancrorum fluviatilium*, nec non *ſuilla*, illorumque animalium *pedes & exta*. *Potus* ſit cereviſia tenuis & clara, emulſiones *amygdalorum dulcium & ſeminum frigidorum*. Decoctum *hordei paſſulatum*, tinctura *roſarum* & *flor. papaveris rhœados* diluta & ſaccharo cando dulcorata. Et, ſedato paroxyſmo, lac *aſininum*, *caprinum*, *vaccinum*, vel præſente febri, *ſerum lactis chaly-*

beat-

beatum & *tabulato roſato* alteratum. Omnis potus generoſus ac ſpirituoſus exulet. Fortè tamen *vinum rubellum adſtringens tenue* conducet. *Vigiliæ* diuturnæ, ut & omnes *commotiones*, cùm *animi* tùm *corporis*, quia humores exagitant, eorumque acrimoniam augent & fluxum concitant, cane & angue pejus fugiendæ, contrà juvant *ſomnus* longior, *corporis* & *animi quies*; nam ſi ullibi, in hoc caſu valet illud Celſi: *Abſtinentia & quiete magni curantur morbi. Excernendorum* & *retinendorum* ſumma habeatur cura. *Venus* in hæmoptycis frigeat. *Alvus* ſit facilis, ſi difficilior, laxanda eſt clyſtere emolliente, vel infuſo leniente ex *rheo, tamarindis, myrobalanis* vel ſimili paratô, aut ſirupo quodam vel electuario lenitivo. *Menſtrua purgatio* in ſexu fœmineo & *hæmorrhoidalis fluxus* in aſſuetis omni nixu promoveatur. Et hæc ſunt illa, quæ mihi de graviſſimo affectu proponere placuit, quæ ut gradum ad altiora, & deſideratum finem propediem obtinendum, ſtruant, faxit D. O. M. cui ſit gloria in æternum.

Corollaria.

I. *QVi ſtatuunt animam ab anima, velut lumen à lumine, accendi, & ita propagari, eam cum corpore confundunt, nec immortalitatem illius ſalvare poſſunt.*

II. *Cor non eſt animæ organon, ſed conarion in cerebro.*

III. *Calor & motus cordis non ſunt ab anima, nec aliarum partium functiones.*

IV. *Ventriculus nec chylo, quem conficit, nec ſanguine nutritur.*

V. *Curatio vulnerum aliorumque morborum ſympathetica non habet annexam ſuperſtitionem.*

VI. *Nervi non vehunt ſuccum nutritium.*

VII. *Lapides pretioſi non irradiant cor virtualiter.*

IIX. *Salia coralliorum & perlarum non ſunt vera ſalia.*

F I N I S.